

Liber Precum Publicarum: The Book of Common Prayer in Latin (1662)

Ordo et Ritus

FACIENDI, ORDINANDI, ET
CONSECRANDI

Episcopos, Presbyteros, et Diaconos

SECUNDUM USUM

Ecclesiæ Anglicanæ

The Form and Manner of Making, Ordaining, and Consecrating of
Bishops, Priests, and Deacons
according to the Order of the Church of England

PRÆFATIO.

Manifestum est omnibus, Sacram Scripturam et veteres auctores diligenter perlegendibus, exstitisse in Ecclesia Christi ex Apostolorum temporibus hosce Ministrorum Ordines, Episcopos, Presbyteros, et Diaconos. Quæ quidem munera ita magni semper æstimabantur, ut nemo auderet ullo eorum fungi, nisi qui jam vocatus esset, probatus, examinatus, et eidem sustinendo par esse satis cognitus: et præterea per preces publicas cum impositione manuum a legitima auctoritate ad id approbatus et admissus. Igitur, quo isti Ordines in Ecclesia Anglicana conservari possint, et reverentia debita usurpari et æstimari, nemo pro legitimo Episcopo, Presbytero, aut Diacono in Ecclesia Anglicana habeatur, nec ullum istorum officiorum exsequi permittatur, nisi qui secundum ritum sequentem ad id vocatus, probatus, examinatus, et admissus fuerit; aut qui Consecrationem vel Ordinationem Episcopalem jam antea susceperit.

Nullus ad Diaconatus Ordinem ante vicesimum tertium ætatis suæ annum, nisi ex dispensatione, admittatur. Et quisque in Presbyterum ordinandus annum vicesimum quartum; quisque autem in Episcopatum ordinandus vel consecrandus, tricesimum complevisse debet.

Episcopus, cum vel ipse vel ex sufficiente testimonio certo sciat aliquem honeste vivere, et vitii expertem esse, et post examen et probationem in Latina lingua doctum et in Sacra Scriptura sufficienter eruditum esse invenerit, potest eum, temporibus in Canone constitutis (aut, urgente gravi causa, alia Dominica vel Festo), in facie Ecclesiæ secundum ritum et ordinem sequentem in Diaconatum promovere.

Ordo et Ritus

AD FACIENDOS DIACONOS

The Form and Manner of Making of Deacons

Die ab Episcopo constituto, post Matutinas fiat Concio vel Exhortatio, qua doceatur populus quid sit munus et officium assumendorum in Diaconatum; quam necessarius in Ecclesia Christi sit iste Ordo; et quanti eos in officio eorum aestimare debeat populus.

Presentation

Principio, Archidiaconus aut Delegatus ejus Episcopo, in sede sua juxta sacram Mensam sedenti, eos qui in Diaconatum ordinari volunt, singulos decenter vestitos, hisce verbis præsented.

REVERENDE in Deo Pater, præsentō tibi hosce præsentēs in Diaconatum assumendos.

Episcopus.

VIDE ut ii quos nobis præsentas apti sint et digni, pro scientia et morum pietate, qui ministerium suum rite exsequantur, ad honorem Dei, et ædificationem Ecclesiæ ejus.

Respondeat Archidiaconus.

INQUISITIONE de eis habita, et examine facto, aptos et dignos esse eos existimo.

Deinde Episcopus populum alloquatur.

FRATRES, si quis vestrum scit ullum impedimentum aut notabile crimen, quod prohibet ne aliquis horum jam ad Diaconatus ordinem suscipiendum præsentatorum ad id officium promoveatur, pro Deo exeat, et crimen aut impedimentum, quidquid sit, declaret.

Si autem aliquod grave crimen aut impedimentum objiciatur, Episcopus differat ordinationem accusati donec criminis illius expers esse visus fuerit.

Deinde Episcopus, eos qui ordinatione digni visi fuerint Congregationis precibus commendans, cum Clero et populo præsentē Litaniam cum orationibus, prout sequitur, cantet vel dicat.

Litany & Suffrages

Litania cum suffragiis.

PATER de cœlis Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Pater de cœlis Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, a Patre et Filio procedens : miserere nobis miseris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, a Patre et Filio procedens : miserere nobis miseris peccatoribus.

Sancta, beata, et gloriosa Trinitas, tres Personæ, unus Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Sancta, beata, et gloriosa Trinitas, tres Personæ, unus Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris : parce nobis, Domine, parce populo tuo, quem redemisti pretiosissimo sanguine tuo, et ne in æternum irascaris nobis.

Parce nobis, Domine.

Ab omni malo et calamitate; a peccato, ab insidiis et infestationibus diaboli; ab ira tua, et a damnatione perpetua,

Libera nos, Domine.

Ab omni cæcitate cordis; a superbia, ab appetitu inanis gloriæ, et ab hypocrisi; ab invidia, odio, malitia, et omni mala voluntate,

Libera nos, Domine.

A fornicatione, cæterisque peccatis mortalibus; et ab omnibus illusionibus mundi, carnis, et diaboli,

Libera nos, Domine.

A fulgure et tempestate, a pestilentia et fame, a bello et homicidio, et a subitanea morte,

Libera nos, Domine.

Ab omni seditione, conjuratione, et rebellionem: ab omni falsa doctrina, hæresi, et schismate; a duritia cordis, et contemptu verbi et mandati tui,

Libera nos, Domine.

Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ; persanctam Nativitatem tuam et Circumcisionem; per Baptismum, Jejunium, et Tentationem tuam,

Libera nos, Domine.

Per Agoniam tuam et sanguineum Sudorem; per Crucem et Passionem tuam; per pretiosam Mortem et Sepulturam tuam; per gloriosam Resurrectionem et Ascensionem tuam; et per Adventum Spiritus Sancti,

Libera nos, Domine.

In omni tempore tribulationis nostræ; in omni tempore prosperitatis nostræ; in hora mortis, et in die iudicii,

Libera nos, Domine.

Peccatores te rogamus, audi nos, Domine Deus: et ut Ecclesiam tuam sanctam Catholicam in via recta regere et gubernare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut famulum tuum Georgium, Regem et gubernatorem nostrum clementissimum, in vero tui cultu, in justitia et sanctitate vitæ, custodire et confirmare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut cor ejus in fide, timore, et amore tuo regere digneris, ut semper in te confidat, et in omnibus honorem et gloriam tuam quærat,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut eum conservare et defendere, eique victoriam contra omnes hostes ejus concedere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut clementem Reginam nostram Mariani, Regis Matrem Reginam Alexandram, Edvardum Principem Walliæ et universam gentem Regiam benedicere et conservare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes Episcopos, Presbyteros, et Diaconos vera cognitione et recto intellectu Verbi tui illuminare digneris; ut tam docendo quam vivendo id proferant et commendent,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut istos famulos tuos, jam in ordinem Diaconorum (sive Presbyterorum) promovendos benedicere, et super eos gratiam tuam effundere digneris; quatenus officium suum rite exsequantur, in ædificationem Ecclesiæ tuæ et gloriam Sancti Nominis tui,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut Consiliarios regios et totam Nobilitatem gratia, sapientia, et intellectu illustrare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut Magistratus benedicere et custodire et gratia donare digneris, qua exsequantur justitiam et custodiant veritatem,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnem populum tuum benedicere et conservare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnibus gentibus unitatem, pacem, et concordiam largiri digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut cor nobis dare digneris, quo te amemus et timeamus, et secundum mandata tua diligenter vivamus,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omni populo tuo incrementum gratiæ donare digneris, quo verbum tuum humiliter audiat et puro animi affectu amplectatur, et fructus Spiritus proferat,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut errantes et seductos in viam veritatis reducere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut stantes confirmare, corde debiles confortare et sustentare, lapsos erigere, et Sathanam tandem sub pedibus nostris conterere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes in periculo, necessitate, et tribulatione constitutos sublevare, adjuvare, et consolari digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes terra marique peregrinantes, omnes mulieres parturientes, omnes ægrotantes et parvulos conservare, et omnibus in carcere detentis et captivis misericordiam tuam ostendere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut orphanis et viduis, desolatisque omnibus et oppressis, opitulari et providere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnibus hominibus misereri digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut inimicis, persecutoribus, et obrectatoribus nostris ignoscere, et eorum corda convertere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut fructus terræ dare et conservare digneris, ut tempore opportuno eis utamur,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere; omnia peccata nostra, negligentias, et ignorantias, condonare; et gratiam Sancti Spiritus infundere digneris, ut secundum sanctum verbum tuum vitam nostram emendemus,

Te rogamus audi nos, Dne.

Fili Dei: te rogamus, audi nos.

Fili Dei: te rogamus, audi nos.

Agnus Dei : qui tollis peccata mundi,

Dona nobis pacem tuam.

Agnus Dei : qui tollis peccata mundi,

Miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Lord's Prayer

Tum Sacerdos et cum eo populus dicant Orationem Dominicam.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Sacerdos. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

Resp. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus.

DEUS, misericors Pater, qui contritorum non despicias gemitum, et mœrentium non spernis affectum; Adesto precibus nostris, quas tibi in omni tribulatione nostra, si quando nos opprimat, offerimus: implorantes, ut solito pietatis tuæ intuitu quicquid contra nos diabolicæ fraudes atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, et consilio misericordiæ tuæ allidas; quatenus nos famuli tui, nullis infestationibus læsi, in Ecclesia tua sancta tibi gratias semper referamus consolati; per Jesum Christum Dominum nostrum.

Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter Nomen tuum.

Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter honorem tuum.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto;

Resp. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Ab inimicis nostris defende nos, Christe.

Afflictionem nostram benignus vide.

Dolorem cordis nostri respice clemens.

Peccata populi tui pius indulge.

Orationes nostras pius exaudi.

Fili David, miserere nobis.

Hic et in perpetuum nos exaudire digneris, Christe.

Exaudi nos, Christe; exaudi nos, Domine Christe.

Sacerdos. Fiat misericordia tua, Domine, super nos;

Resp. *Quemadmodum speravimus in te.*

Oremus.

INFIRMITATEM nostram, quæsumus, Pater, propitius respice; et mala omnia quæ juste meremur propter Nominis tui gloriam averte: et præsta, ut inter omnia adversa in misericordia tua omnino confidamus, et tibi semper in puritate et sanctitate vitæ serviamus, in honorem et gloriam tuam; per unicum nostrum Mediatorem et Advocatum, Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde cantetur aut dicatur Officium Communionis, cum Oratione, Epistola, et Evangelio sequentibus.

Collect

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui divina providentia tua varios Ministrorum ordines in Ecclesia constituisti, et Apostolos tuos inspiratione tua docuisti in Diaconorum ordinem Sanctum Stephanum protomartyrem, cum aliis, eligere; Respice propitius hos famulos tuos, in idem officium et ministerium jam vocatos; et eos doctrinæ tuæ veritate ita adimple, et vitæ innocentia adorna, ut tam ore quam bono exemplo tibi in hoc officio fideliter deserviant, ad gloriam Nominis tui, et ad ædificationem Ecclesiæ tuæ; per merita Salvatoris nostri, Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Epistle

Epistola.

1 Ad Tim. iii. 8.

DIACONOS similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis bene præsent, et suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent; et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.

CONVOCANTES autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt, Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi, instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochiæ. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

Bishop's Questions

Et ante Evangelium Episcopus in sede sua sedens singulos ordinandos coram populo modo sequenti examinet.

CONFIDITIS vos a Spiritu Sancto interius adductos esse, ut hoc officium et ministerium suscipiatis, quo Deo serviatis ad gloriam ejus promovendam, et populum ædificandum?

Resp. Ita confido.

Episcopus. Putatis, vos ad Ecclesiæ Ministerium, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et disciplinam in hoc regno constitutam, revera vocatos esse ?

Resp. Ita puto.

Episcopus. Creditis sincere omnes Scripturas Canonicas Veteris et Novi Testamenti ?

Resp. Credo.

Episcopus. Vultis eas ad populum in Ecclesia in qua ad ministrandum constituti fueritis congregatum, diligenter legere.

Resp. Volo.

Episcopus. Diaconum oportet, in Ecclesia in qua ad ministrandum constitutus fuerit, Sacerdoti Officium Divinum peragenti, et præcipue Sacram Communionem celebranti assistere, et in eadem impertienda operam præbere, et Sacras Scripturas, et Homilias, in Ecclesia legere; juventutem Catechismo erudire; absente Sacerdote infantes baptizare, et, si ad id ab Episcopo admissus fuerit, prædicare. Præterea oportet eum, ubi ita constitutum fuerit, ægrotos, pauperes, et infirmos intra Parochiam habitantes, exquirere, et eorum conditiones, nomina, et domicilia Parocho indicare, ut, per hortationes ejus, Parochianorum aut aliorum eleemosynis reficiantur. Vultis hæc facere libenter et alacriter?

Resp. Hoc, cum Dei auxilio, facere volo.

Episcopus. Vultis ad hoc omnem operam conferre, ut vestri ipsorum et familiarum vestrarum mores secundum doctrinam Christi conformetis, et tam vos quam eas, quod ex vobis erit, exemplaria gregi Christi salutaria reddatis?

Resp. Hoc, Domino adjuvante, facere volo.

Episcopus. Vultis Ordinario vestro, et aliis superioribus Ecclesiæ ministris, quibus cura vestri regimenque committetur, reverenter obedire, piis eorum monitionibus omni mentis et voluntatis alacritate obtemperantes?

Resp. Ad hoc dabo operam, adjuvante Domino.

Deinde Episcopus, super capita singulorum ante se humiliter genuflexorum manus imponens, dicat,

ACCIPE potestatem exsequendi officium Diaconi in Ecclesia Dei tibi commissum; In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde Episcopus singulis Novum Testamentum tradat, dicens,

ACCIPE potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, idque etiam prædicandi, si ad hoc ab ipso Episcopo facultatem susceperis.

Deinde unus ex iis, ap Episcopo designatus, legat

Evangelium.

S. Luc. xii. 35.

SINT lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati servi illi.

Deinde Episcopus in Communione procedat; et omnes Ordinati maneant, et sacram Communionem eodem die cum Episcopo percipiant.

Communione perfecta, post ultimam Orationem, et immediate ante Benedictionem, dicantur hæ sequentes Orationes.

Prayers & Benediction

OMNIPOTENS Deus, omnium bonorum dator, qui pro magna bonitate tua hos famulos tuos ad officium Diaconatus in Ecclesia tua assumere et suscipere dignatus es; Fac eos, quæsumus, Domine, modestos esse, humiles, in ministerio constantes, et promptos ad spiritualis observantiam disciplinæ; ut semper bonum conscientia testimonium præferentes, in Christo Filio tuo firmi et stabiles perseverent, et in hoc inferiori gradu tam bene se gerant, ut digni inveniantur qui ad potiora in Ecclesia tua ministeria vocentur; per eundem Filium tuum Salvatorem nostrum Jesum Christum, cui sit gloria et honor per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur; quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

PAX Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri: Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. Amen.

Hic autem indicandum est Diacono, quod oportebit eum in Diaconatu per annum integrum (nisi ob causam sufficientem aliter Episcopo visum fuerit), permanere; quatenus in omnibus quæ ad ministeria ecclesiastica pertinent perfectus sit et satis exercitatus. In quibus exsequendis si fidelis et diligens inventus fuerit, ordinem Presbyteratus ab Episcopo diæceseos suæ admitti poterit, temporibus in Canone constituti (aut, urgente gravi causa, alia Dominica sive Festo, in facie Ecclesiæ, secundum ritum et ordinem sequentem.

Ordo et Ritus

AD ORDINANDOS PRESBYTEROS.

The Form and Manner of
Ordering of Priests

Die ab Episcopo constituto, post Matutinas fiat Concio vel Exhortatio, qua doceatur populus quid sit munus et officium assumendorum in Presbyteratum; quam necessarius in Ecclesia Christi sit iste Ordo, et quanti eos in officio eorum æstimare debeat populus.

Presentation

Principio, Archidiaconus, aut, eo absente, alius in ejus vicem delegatus, Episcopo, in sede sua juxta sacram Mensam sedenti, omnes qui illo die Presbyteratus ordinem suscepturi sunt, singulos decenter vestitos, hisce verbis præsentet.

REVERENDE in Deo Pater, presento tibi hosce præsentés in ordinem Presbyteratus assumendos.

Episcopus.

VIDE ut ii quos nobis præsentas apti sint et digni, pro scientia et morum pietate, qui ministerium suum rite exsequantur, ad honorem Dei, et ædificationem Ecclesiæ ejus.

Respondeat Archidiaconus:

INQUISITIONE de eis habita, et examine facto, aptos et dignos esse eos existimo.

Deinde Episcopus populum alloquatur.

ADSUNT, dilectissimi, quos in sacrum Sacerdotii officium, Deo volente, hodie assumere statuimus: Nam post debitum examen factum nihil nobis compertum est nisi quod in munus illud et ministerium legitime vocantur, et digni sunt qui id Suscipiant. Sed tamen, si quis vestrum scit ullum impedimentum aut notabile crimen, quod prohibet ne aliquis horum in hoc sacrum ministerium assumatur, pro Deo exeat, et crimen aut impedimentum, quidquid sit, declaret.

Si autem aliquod grave crimen aut impedimentum objiciatur, Episcopus differat ordinationem accusati, donec criminis illius expers esse visus fuerit.

Deinde Episcopus, eos qui ordinatione digni visi fuerint Congregationis precibus commendans, cum Clero et populo præsenté Litaniam cum orationibus cantet vel dicat, sicut antea constitutum est in Ordinatione Diaconorum cum hac exceptione, quod in proprio suffragio illic addito, verbum Diaconorum omitti debet, et loco ejus verbum Presbyterorum substitui.

Deinde cantetur aut dicatur Officium Communionis, cum Oratione, Epistola, et Evangelio sequentibus.

Collect

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, omnium bonorum dator, qui per Spiritum Sanctum tuum varios Ministrorum Ordines in Ecclesia constituisti ; Respice propitius nos famulos tuos, in officium Sacerdotii jam vocatos; et eos doctrinæ tuæ veritate ita adimple, et vitæ innocentia adorna, ut tam ore quam bono exemplo tibi in hoc officio fideliter deserviant, ad gloriam tui Nominis, et ad ædificationem Ecclesiæ tuæ; per merita

Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Epistle

Epistola.

Ephes. iv. 7.

UNICUIQUE nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Gospel

Postea pro Evangelio legatur pars noni capituli Sancti Matthæi, prout sequitur.

S. Matt. ix. 36.

VIDENS autem turbas Jesus, misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis, Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Aut quod sequitur, e decimo capitulo Sancti Joannis.

S. Joan. x. 1.

AMEN, amen, dico vobis, Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et, cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus, Amen, amen, dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus: et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor.

Deinde Episcopus, in sede sua sedens, ordinandos verbis sequentibus alloquatur.

AUDIVISTIS, Fratres, tam in privato vestri examine, quam in exhortatione jam nunc ad vos facta, et in sacris lectionibus ex Evangelio et scriptis Apostolorum desumptis, quanta Sit dignitas, quanta gravitas, istius muneris ad quam vocamini. Nunc autem iterum hortamur vos, in Nomine Domini nostri Jesu Christi, ut dignitatis ad quam excellentiam, curæ et officii ad quantum onus vocamini, in memoria habeatis. Domini enim eritis nuntii, speculatores, et dispensatores. Vestri erit familiam Domini docere,

monere, pascere, curare; Christi etiam oves dispersas, et filios ejus in medio mundanæ pravitatis habitantes, requirere, quatenus per Christum salutem æternam consequantur.

Sit ergo vestræ semper memoriæ impressum quantus sit thesaurus vobis commissus. Sunt enim oves Christi, quas morte sua acquisivit, et pro quibus sanguinem suum effudit. Ecclesia et congregatio cui servituri estis sponsa ejus est et corpus. Et si quando eidem Ecclesiæ, aut cui ejus membro, damni aliquid aut impedimenti negligentia vestra attulerit, delicti ejusmodi gravitatem satis nostis, et pœnam quæ id insecutura est horribilem. Quamobrem vobis considerandum est, quid spectet ministerium vestrum quoad filios Dei, et sponsam atque corpus Christi. Immo videte ne quid laboris, curæ, et diligentiae omittatis, donec omnem operam pro viribus, sicut vos oportet, dederitis, quo omnes qui curæ vestræ aut sint aut fuerint commissi, ad eam in Dei fide et cognitione unitatem, et eam ætatis in Christo perfectam maturitatem perducatis, quæ nec erroribus in religione, nec in moribus pravitati, ullum apud vos relinquat locum.

Cum igitur officii vestri tanta sit excellentia, tanta difficultas, videtis quantum studii et operæ a vobis adhibendum sit, ut et Domino qui vos in tam alto dignitatis gradu collocavit, fideles et gratos vos exhibeatis, et caveatis ne ille per vos, nec vobis auctoribus per alios, offendatur. Cum tamen ex vobismetipsis id propositum eamque voluntatem habere non valetis, (a Deo enim solo id velle et posse datur,) debetis, quod et ipsa necessitas requirit, Sanctum Dei Spiritum studiosius postulare. Præterea, cum non alia ratione tantum opus, ad hominum salutem pertinens, perficere valeatis, nisi doctrina et hortationibus ex sacra Scriptura desumptis, et ratione quæ iis congruat vivendi; considerate vobiscum, quam diligenter vobis legendæ sint et ediscendæ Scripturæ, et mores tam vestri ipsorum quam eorum qui ad vos proxime pertineant, ad Scripturarum normam conformandi: quam necessario etiam, hanc eandem ob causam, oporteat vos studia et sollicitudines, quæ de mundo sunt, quantum in vobis erit, prorsus deponere.

Magnam profecto spem habemus, vos jamdudum hæc omnia satis animo perpensis, et certo statuissetis vos totos, favente Deo, huic muneri dedicare, ad quod Deus vos vocare dignatus est: adeo ut, quantum ex vobis erit, ad hoc solum omnem diligentiam adhibere velitis, in hoc omnes curas, omnia studia conferre; et a Deo Patre, per Mediatorem Jesum Christum, unicum nostrum Salvatorem, cœleste Sancti Spiritus auxilium indesinenter petere: quatenus, maturitatem in ministerio et vigorem per quotidianam Scripturarum lectionem et meditationem consecuti, ita enitami vestras vestrorumque etiam atque etiam purificare vitas, et ad normam doctrinamque Christi conformare, ut vestræ pietatis exemplo imitationem plebs acquirat salutarem.

Jam vero, quatenus Christi populus hic congregatus quid in hac re sentiatis, quid velitis, intelligat, et promissio jam a vobis facienda ad præstandum officium vestrum efficacius vos adducat, ad quæstiones quas de his in Nomine Dei et Ecclesiæ ejus vobis proponemus, diserte a vobis est respondendum.

Bishop's Questions

CREDITIS in corde vos vere vocari, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et consuetudinem hujus Ecclesiæ Anglicanæ, ad ordinem et ministerium Presbyteratus?

Resp. Credo.

Episcopus.

PERSUASUM est vobis, in Scripturis sacris sufficienter contineri omnem doctrinam, ad æternam per fidem in Jesu Christo salutem necessario suscipiendam? Et decrevistis ea quæ ex eisdem Scripturis intelligitis plebem vestræ curæ commissam docere, et nihil tradere tanquam in salutem æternam necessarium, nisi de quo vobis persuasum fuerit, per Scripturas concludi et probari posse?

Resp. Ita mihi persuasum est, et ita gratia Dei decrevi.

Episcopus.

VULTIS igitur diligentiam semper fideliter adhibere in Christi Doctrina, Sacramentis, et Disciplina ita administrandis, sicut Dominus præcepit, et hæc Ecclesia atque hoc Regnum eadem susceperunt, secundum mandata Dei; quatenus populum curæ vestræ commissum doceatis eadem omni diligentia observare?

Resp. Volo hoc facere, cum Domini auxilio.

Episcopus.

PARATI eritis amovere atque depellere, omni fidelitate et diligentia, omnes falsas et alienas doctrinas, verbo Dei contrarias; et tam ægrotantes quam bene valentes, intra parochias vestras habitantes, si quando res postulet, aut occasio data sit, monitionibus et publicis et privatis adhortari?

Resp. Ad hoc, adjuvante Domino, paratus ero.

Episcopus.

VULTIS instare orationi, et lectioni sacrarum Scripturarum, eisque studiis quæ cognitioni earum inserviunt, studio mundi carnisque seposito?

Resp. Ad hoc, adjuvante Domino, adhibebo diligentiam.

Episcopus.

VULTIS operam dare ut vosmetipsos et familias vestras secundum Christi doctrinam conformetis, et quod ex vobis erit, exemplaria gregi Christi salutaria reddere?

Resp. Ad hoc, adjuvante Domino, operam dabo.

Episcopus.

VULTIS, quantum ex vobis erit, inter omnes Christianos, eosque præcipue qui curæ vestræ sint aut fuerint commisi, tranquillitatem, pacem, et charitatem conservare et promovere?

Resp. Volo, adjuvante Domino.

Episcopus.

VULTIS Ordinario vestro, et aliis superioribus Ecclesiæ Ministris, quibus cura vestri regimenque committetur, reverenter obedire, piis eorum monitionibus omni mentis et voluntatis alacritate obtemperantes, vosque piis eorum judiciis submittentes?

Resp. Volo, adjuvante Domino.

Deinde Episcopus erigens se dicat,

OMNIPOTENS Deus, de cuius munere venit, ut hæc omnia facere velitis, virtutem etiam ad ea exsequenda vobis concedat; ut opus suum quod in vobis cœpit perficiat; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde rogandus est populus, ut hæc omnia secreto orationibus suis a Deo suppliciter exposcat. Quod ut faciat, per aliquantum temporis sileatur.

Veni, Creator Spiritus

Postea ab Episcopo cante dicatur Hymnus, Veni Creator; omnibus Presbyterandis genuflexis; Episcopo incipiente, Presbyteris autem, aliisque qui adsunt, per alternos versus respondentibus, prout sequitur.

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei:
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.

[Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis fœdera.]

Per te sciamus de Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito:
Nobisque mittat Filius
Charisma Sancti Spiritus.

Amen.

Ordination

Postea sic oret Episcopus, dicens,

Oremus.

OMNIPOTENS Deus, Pater cœlestis, qui ex infinita tua caritate et bonitate erga nos dedisti nobis unicum et dilectissimum Filium tuum Jesum Christum, ut sit Redemptor noster, et auctor vitæ sempiternæ; qui post redemptionem nostram morte sua perfectam, et ascensionem suam in cœlos, dimisit in mundum Apostolos suos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, et Pastores, per quorum laborem et ministerium in omni regione mundi magnum gregem collegit, quo Nominis sancti tui laus æterna celebraretur: Pro his tantis æternæ tuæ bonitatis beneficiis, et propterea quod hos præsentis famulos tuos vocare dignatus es ad idem officium et ministerium in salutem humani generis institutum, gratias tibi ex animo referimus, laudamus et adoramus te; suppliciter rogantes per eundem Filium tuum benedictum, ut omnibus aut hic aut alibi sanctum Nomen tuum invocantibus tribuas continuo tibi, pro his cæterisque beneficiis tuis, gratum animum exhibere, et in cognitione et fide tui et Filii tui, per Spiritum Sanctum,

quotidie crescere et proficere: adeo ut tam per hos ministros tuos, quam per eos super quos constituti fuerint ministri tui, sanctum Nomen tuum in æternum glorificetur, et amplificetur benedictum regnum tuum; per eundem Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hac oratione perfecta, Episcopus cum Presbyteris qui præsentibus sunt manus imponat super capita singulorum Presbyteratus ordinem suscipientium; ordinandis humiliter genuflexis, Episcopo autem dicente,

ACCIPE Spiritum Sanctum in officium et opus Sacerdotis in Ecclesia Dei, per impositionem manuum nostrarum jam tibi commissum. Quorum remiseris peccata, remittuntur eis: et quorum retinueris, retenta sunt. Esto etiam fidelis verbi Dei, et sanctorum ejus Sacramentorum Dispensator: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde Episcopus unicuique eorum genuflexis tradat in manus Biblia sacra, dicens,

ACCIPE potestatem prædicandi verbum Dei, et administrandi sancta Sacramenta, in congregatione in qua fueris ad hoc legitime constitutus.

Collects & Benediction

Quibus peractis, cantetur aut dicatur Symbolum Nicænum: et deinde Episcopus prosequatur Officium Communionis, quam omnes qui ordinantur simul percipere debent, et in eodem loco in quo manus sibi impositæ sunt permanere, donec perceperint Communionem.

Peracta Communionem, post ultimam Orationem, et immediate ante Benedictionem, recitentur hæ Orationes.

SUPER hos famulos tuos, quæsumus, Pater misericors, cœlestem tuam effunde benedictionem; ut justitia induantur, et verbum tuum per ipsorum ora prædicatum tam bene succedat, ut nunquam frustra proferatur. Nobis etiam, rogamus, eam gratiam tribue, ut quidquid ex sancto verbo tuo desumptum, aut eidem consentaneum, proposituri sunt, nos pro instrumento salutis audiamus et amplectamur; quatenus in omnibus dictis operibusque nostris gloriam tuam quæramus, et regni tui augmentum; per Jesum Christum Dominum nostram. Amen.

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur; quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

PAX Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri: Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. Amen.

Si autem uno eodemque die alii Diaconatus ordinem suscipiant, et alii Presbyteratus: præsententur primum Diaconi, deinde Presbyteri; et satis fuerit si pro utrisque semel dicatur Litaniam. Recitetur tamen utraque Oratio; ea primum quæ ad Diaconos spectat, deinde ea quæ ad Presbyteros. Sit Epistola Eph. iv. 7—13, ut supra in hoc Officio. Postquam lectam Diaconandi examinentur, et ordinentur, sicut antea præscriptum est. Deinde, lecto ab aliquo eorum Evangelio (quod erit aut ex Evangelio secundum Matt. ix. 36—38, ut supra in hoc Officio, aut secundum Luc. xii. 35—38, ut antea in Ordinatione Diaconorum) Presbyterandi etiam examinentur, et ordinentur, sicut supra in hoc Officio præscriptum est.

Forma

ORDINATIONIS SIVE CONSECRATIONIS

Archiepiscopus aut Episcopi,

QUÆ IN DOMINICA AUT FESTO SEMPER

PERAGENDA EST.

The Form of Ordaining or Consecrating of an
Archbishop or Bishop

Omnibus in Ecclesia rite præparatis et dispositis, post Matutinas Archiepiscopus (aut alius Episcopus ad id munus designatus) incipiat Officium Communionis, in quo hæc sit.

Collect

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui per Filium tuum Jesum Christum sanctis tuis Apostolis plurima excellentia dona contulisti, et ut gregem tuum pascerent præcepisti; Tribue, quæsumus, eam gratiam omnibus Episcopis, Ecclesiæ tuæ Pastoribus, qua verbum tuum diligenter prædicent, et piam ejus disciplinam rite administrent; et da populo eadem obedientes sequi; quatenus omnes coronam æternæ gloriæ percipiant; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Alius autem Episcopus legat

Epistle

Epistolam.

1 Tim. iii. 1.

FIDELIS sermo, Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

Sive hanc

Lectionem pro Epistola.

Act. xx. 17.

A MILETO autem Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis, Vos scitis, a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et

docerem vos publice et per domos, testificans Judæis atque gentibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem; quæ in ea ventura sint mihi ignorans; nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiore quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino Jesu, testificari evangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quam accipere.

Deinde alius Episcopus legat

Gospel

Evangelium.

S. Joan. xxi. 15.

DICIT Simoni Petro Jesus, Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Joannis, diligis me? Ait illi, Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei, Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce oves meas.

Sive hoc :

S. Joan. xx. 19.

CUM sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum; venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis, Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisus sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.

Sive hoc :

S. Matt. xxviii. 18.

ACCEDENS Jesus locutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos, servare omnia quæcunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

Presentation

Post Evangelium, et Symbolum Nicænum, et Concionem, Episcopum Electum rochetto indutum Archiepiscopo provinciæ (aut alio Episcopo cui id legitime mandatum fuerit), in sede sua juxta sacram Mensam sedenti, præsentent duo Episcopi, dicentes,

REVERENDISSIME in Deo Pater, præsentamus tibi hunc pium doctumque virum, ut in Episcopum ordinetur et consecretur.

Deinde Archiepiscopus regium de consecratione præceptum deposcat, et legendum curet. Et juramentum obedientiæ Archiepiscopo debita, prout sequitur, ab Electis exigatur.

Oath of Obedience

Juramentum obedientiæ Archiepiscopo debita.

IN Dei Nomine. Amen. Ego N. Ecclesiæ et Sedis N. Episcopus Electus, debitam reverentiam et obedientiam Archiepiscopo et Ecclesiæ Metropolitanæ N. et successoribus eorum, me per omnia exhibiturum profiteor et promitto; Sic me Deus adjuvet, per Jesum Christum.

Hoc juramentum in Archiepiscopi Consecratione non præstetur.

Deinde Archiepiscopus populum sic alloquens ad orandum exhortetur:

FRATRES, Scriptum est in Evangelio secundum Sanctum Lucam, quod Christus Salvator erat pernoctans in oratione Dei, priusquam duodecim Apostolos suos eligeret et emitteret. Scriptum est etiam in Actis Apostolorum, quod discipuli qui erant Antiochiæ jejunabant et orabant, priusquam Paulo et Barnabæ manus imponerent, eosque emitterent. Nos igitur, Christi Salvatoris et Apostolorum exemplum sequentes, prius ad orationem nos conferamus, quam hunc virum nobis præsentatum assumamus, et ad opus illud emittamus, ad quod ipsum a Spiritu Sancto vocatum esse confidimus.

Deinde dicatur Litania, sicut supra in Ordinatione Diaconorum, cum hac exceptione, quod post verba, Ut omnes Episcopos, et seq. omittatur proprium suffragium illo loco positum, et quod hic sequitur substituat.

UT hunc fratrem nostrum electum benedicere digneris, et super eum gratiam tuam mittere; ut munus ad quod vocatur rite sustineat, ad ædificationem Ecclesiæ tuæ, et ad honorem, laudem, et gloriam Nominis tui,

Resp. Te rogamus, audi nos, Domine.

Deinde dicatur hæc sequens Oratio.

OMNIPOTENS Deus, omnium bonorum dator, qui per Spiritum Sanctum tuum varios Ministrorum ordines in Ecclesia tua constituisti; Respice propitius hunc famulum tuum, ad opus et ministerium Episcopale nunc vocatum; et eum doctrinæ tuæ veritate ita adimple, et vitæ innocentia adorna, ut tam opere quam ore tibi in hoc officio fideliter deserviat ad gloriam tui Nominis, et ad ædificationem et bonum regimen Ecclesiæ tuæ; per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde Archiepiscopus, in sede sua sedens ad Consecrandum dicat,

FRATER, quoniam sacra Scriptura et antiqui Canones præcipiunt, nequem cito manuum impositione admittamus ad regimen tenendum in Ecclesia Christi, quam non alio pretio nisi proprio sanguine effuso acquisivit; priusquam te ad hoc ministerium admittam, examinabo te in quibusdam articulis, ut probatione habita populus testari possit, qualiter velis in Ecclesia Dei conversari.

Archbishop's Questions

PERSUASUM est tibi, te ad hoc ministerium vere vocari, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et disciplinam in hoc regno constitutam?

Resp. Ita mihi persuasum est.

Archiepiscopus.

PERSUASUM est tibi, in Scripturis sacris sufficienter contineri omnem doctrinam, ad æternam per fidem in Jesu Christo salutem necessario suscipiendam? Et decrevisti ea quæ ex eisdem sacris Scripturis intelligis, plebem tuæ curæ commissam docere, et nihil tradere, nihil affirmare, tanquam in salutem ternam necessarium, nisi de quo tibi persuasum fuerit, per easdem concludi et probari posse?

Resp. Gratia Dei ita mihi persuasum est, et ita decrevi.

Archiepiscopus.

VIS igitur teipsum in eisdem sacris Scripturis fideliter exercere, et Deum exorare ut eas recte valeas intelligere; quatenus per eas potens sis docere et exhortari in doctrina sana, et eis qui contradicunt resistere eosque arguere?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio.

Archiepiscopus.

PARATUS es amovere atque depellere, omni fidelitate et diligentia, omnem falsam et alienam doctrinam, verbo Dei contrariam; et alios ad id faciendum tam privatim quam publice adhortari et incitare?

Resp. Ad hoc, adjuvante Domino, paratus sum.

Archiepiscopus.

VIS abnegare omnem impietatem et sæcularia desideria, et sobrie, juste, et pie vivere in hoc sæculo; quatenus in omnibus teipsum aliis præbeas exemplum bonorum operum, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de te?

Resp. Volo hoc facere, adjuvante Domino.

Archiepiscopus.

VIS, quantum ex te erit, inter omnes tranquillitatem, charitatem, atque pacem conservare et promovere; et eos qui intra Diœcesim tuam seditiose, contumaciter, et nefarie se gesserint, ea potestate corrigere et punire, quam ex Dei verbo habes, quæque per hujus regni leges tibi committetur?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio.

Archiepiscopus.

VIS fidelis esse in ordinando et mittendo alios, eisque manus imponendo?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio.

Archiepiscopus.

VIS pauperibus et indigentibus et omnibus peregrinis auxilio destitutis, te propter Christum affabilem et misericordem præstare?

Resp. Volo ita me præstare, cum Dei auxilio.

Deinde Archiepiscopus erigens se dicat,

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, de cujus munere venit ut hæc omnia facere velis, virtutem etiam ad ea exsequenda tibi concedat; ut, ipso in te bonum opus quod cœpit perficiente, in novissimo die perfectus et irreprehensibilis inveniaris; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde assumat Episcopus Electus cætera vestimenta Episcopalia; et super eum genuflexum cantetur aut dicatur Veni, Creator Spiritus: incipiente Archiepiscopo, Episcopis autem, aliisque qui adsunt, per alternos versus respondentibus, prout sequitur.

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei:
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.

[Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis fœdera.]

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito:
Nobisque mittat Filius
Charisma Sancti Spiritus.

Amen.

Quo finito, dicat Archiepiscopus,

DOMINE, exaudi orationem nostram.

Resp. Et clamor noster ad te veniat.

Oremus.

OMNIPOTENS Deus, Pater misericors, qui ex infinita bonitate tua dedisti unicum et dilectissimum Filium tuum Jesum Christum, ut sit Redemptor noster, et auctor vitæ sempiternæ; qui post redemptionem nostram morte sua perfectam, et ascensionem suam in cœlos, dona sua super homines abundanter effudit, faciens quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad ædificationem et consummationem Ecclesiæ suæ; Da, quæsumus, eam gratiam huic famulo tuo, qua semper paratus sit ad evangelizandum bona tua, ad prædicandam reconciliationem: et potestate quam tribuis non in destructionem, sed in salutem, non ad injuriam, sed ad auxilium utatur: quatenus, ut

fidelis servus et prudens, familiæ tuæ dans cibum in tempore opportuno, in gaudium sempiternum tandem suscipiatur; per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Consecration

Tunc Archiepiscopus et Episcopi qui adsunt supei caput Electi ante se genuflexi manus imponant, dicente Archiepiscopo:

ACCIPE Spiritum Sanctum in officium et opus Episcopi in Ecclesia Dei, per impositionem manuum nostrarum jam tibi commissum; In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Et memento ut resuscites gratiam Dei, quæ tibi datur per hanc impositionem manuum nostrarum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.

Deinde tradat Archiepiscopus ei Sacra Biblia, dicens,

ATTENDE lectioni, exhortationi, et doctrinæ. Meditare ea quæ in hoc libro continentur: in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, et doctrinæ: insta in illis: hoc enim faciens, et teipsum salvum facies et eos qui te audiunt. Esto gregi Christi pastor, non lupus: pasce eum, noli devorare. Quod infirmum est consolida, quod ægrotum sana, quod confractum alliga, quod abjectum est reduc, quod periit require. Ita misericors sis, ut non sis remissior: ita disciplinam exhibeas, ut misericordiæ non obliviscaris: quatenus, cum apparuerit Princeps pastorum, percipias immarcescibilem gloriæ coronam; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Prayers & Benediction

Deinde Officium Communionis prosequatur Archiepiscopus, cum quo Episcopus jam Consecratus (una cum aliis) communicare debet. Et pro ultima oratione, immediate ante Benedictionem, dicantur hæ Orationes.

SUPER hunc famulum tuum, quæsumus, Pater misericors, cœlestem tuum effunde benedictionem; et eum Sancto Spiritu tuo ita adorna, ut verbum tuum prædicans, non solum studeat arguere, obsecrare, increpare in omni patientia et doctrina, sed exemplum sit salutare fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, et in puritate; quatenus cursum suum fideliter consummans, accipiat in die novissimo coronam justitiæ, a Domino justo Judice repositam, qui cum Patre vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ACTIONES nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando proseguere; ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te ccepta finiatur; quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

PAX Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. Amen.



Source : http://justus.anglican.org/resources/bcp/Latin1662/Latin1662_Ordinal.htm (6 février 2005)